



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Doctor Mellifluus S. Bernardus Magnæ Matris Cultor
Eximius, Et Ex Ordine Sancti Benedicti Sacellanus
Quartus. Sive Ea quæ Doctor mellifluus de laudibus
Virginis Matris scripsit in gratiam magnæ ...**

Bernardus <Claraevallensis>

Nevhsii, MDCLXXV.

Sermo I. In Festo Purificationis B. Mariae Virginis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37156

ra materna morte crudelissimâ perdere nitebatur. Dehinc proficiscens ætate & sapientiâ coram Deo & hominibus, factus est vir discurrens per civitates, prædicans & annuntians regnum Dei. Elementis & dæmonibus imperabat, infirmos sanabat, & mortuos suscitabat. Et cum talia faceret, sustinebat insidias, sustinebat calumnias, sustinebat blasphemias, quas principes sacerdotum, Scribæ & Pharisei & omnis populus contra ejus innocentiam invehebant: sed cum eorum perfida & perversa nequitia unice Filij mei bonitatem super excellentem sustinere non posset, ipsum auferre de terra nefariè cogitantes, ligaverunt, flagellaverunt, deturbaverunt, crucifixerunt, dilaniaverunt, & morte turpissimâ occiderunt: sicut præsens dies liquido manifestat. Ergo vos omnes fideles Christi recolite, de morte & passione Domini nostri Iesu Christi, & per totum istum venerabilem diem lacrymas fundere non cessetis, ut in die resurrectionis Domini ad laudem & honorem illius resurgere valeatis. Qui cum Patre & Spiritu sancto vivit & regnat per infinita secula seculorum, Amen.

*Ex Sermonibus beati Guerrici Abbatis
Igniacensis.*

TOMO VI.

Operum sancti BERNARDI ABBATIS.

SERMO I.

In Festo Purificationis B. MARIÆ Virginis.

Sint lumbi vestri præcincti & lucernæ ardentes in manibus vestris, Luc. 12.

Sint lumbi nostri præcincti, ut Purificationem Mariæ æmulemur: sint lucernæ ardentes in manibus, ut gaudium Simeonis

nis

nis lumen in manibus portantis, etiam visibili signo in nobis representemus. Simus videlicet casti corpore, & mundi corde: & Purificationem Mariæ expressimus. Simus ardentis devotione, & lucentes opere, & cum Simeone Christum portamus in manibus. Maria tamen non tam purificata fuit, quàm mysterium Purificationis commendavit; implendo legalem; significando spiritualem. Quid enim in ea purificandum esse potuit, quæ Virgo concepit, Virgo peperit, Virgoque permansit: imò quæ ipso conceptu planè purificata fuit, si quid fortè minùs antè puritatis habuisset? Quid, inquam, mundanum habuit conceptus ille, qui solus *potest facere mundum de immundo conceptum semine*, *Iob. 14.* qui fontem quo immundus purificetur, edidit; fontem domus David, qui hodieque patet, indefesseque scatet in ablutionem peccatoris, & menstruata, *Zach. 13.* Suscepit tamen Mater totius puritatis, purgationis legitimæ speciem, ut simul & obedientissimæ humilitatis virtutem, & Evangelicæ purificationis insinuaret veritatem. Ubi nunc ille, qui tam fallaciter quàm contumaciter præsumens de sanctitate, detrectat purgatoria pœnitentium remedia subire? Esto quòd sanctus sit: nunquid Sanctarum sanctissima, quæ Sanctum sanctorum peperit, Maria? Utinam Fratres mei, utinam nos illam habere-mus humilitatem in peccatis nostris, quam verè habuerunt sancti in virtutibus suis.

SERMO IV.

In Purificatione beatæ MARIÆ.

Postquam impleti sunt dies purgationis Mariæ, Luc. 2.

Scriptura redemptionis nostræ narrans mysteria, sic refert quæ pro nobis historialiter sunt gesta, ut significet quæ moraliter à nobis sunt gerenda. Cùm enim hodie beatæ Purifica-